OFFICIUM SS. ACISCLI, ET VICTORIÆ, MARTYRUM,

ALMÆ ECCLESIÆ CORDUBENSIS, ET DIOECESIS PATRONORUM,

DUPLEX PRIMÆ CLASS. CUM OCTAV.

Jam anteà concessum eidem Ecclesiæ à sanctæ memoriæ Gregorio XIII. & Clemente VIII. ac demùm ad universa Regna, & Dominia Regi Catholico subjecta extensum, & ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur recitandum de præcepto sub ritu duplici sine Octava a SSmo. D. N. Benedicto XIII. die prima Martii anni 1727.

Ad vesp. Aña. de Laud. Psal. de Dominic. & pro ultim. Laudate Dominum omnes gentes.

Ad Magnif. Antiph.

PRæses Dion rotas jubet afferri, atque sub rotis ignem accendi, & oleum desuper infundi, ut Sancti Martyres gravissimè torquerentur.

Oratio.

DEus, qui familiam tuam beatorum fratrum, & Martyrum tuorum Aciscli, & Victoriæ gloriosis confessionibus circumdas, & protegis: concede propi-

* tius,

tius; ut quos Patronos agnoſcimus, eorum meritis, & interceſsionibus ab omnibus adverſitatibus liberemur. Per Dominum, & c.

Ad Matutinum.
Invitatorium, & Hymnus de Communi plurimorum M.

In Cordubenſi Diœceſi Lectiones primi Nocturn.
Fratres debitores ſumus, *extra Diœceſim de Scriptura occurrente.*

℟. 1. Præſes Dion carceres, cruciatus, mortem denique Chriſtianis, niſi idolis ſacrificarent minabatur; ſed Aciſclus, & Victoria minas contempſerunt. * Et inventi ſunt ſtrenui, & fortes in Chriſtiana religione. ℣. Ad Præſidem ducti fratres ſanctiſsimi, nihil ſe facere juſſa Principum audacter prædicabant. Et inventi.

℟. 2. Vos ne eſtis, qui juſſa Principum, & ſacra Deorum contemnitis? * At illi nos, inquiunt, præſtamus Chriſto vero Deo debitam ſervitutem, non autem dæmonibus, ſurdiſque lapidibus. ℣. Erubuit Præſes ad tam audax reſponſum, & in ima carceris eos contrudi præcepit. At illi nos.

℟. 3. Educti ad Præſidem Martyres glorioſi in rogum ignis comburendi projiciuntur. * Sed ſuſcepti ab Angelis Deo laudes alta voce perſonabant. ℣. Stupefactus Dion imperat, illos in flumen ingentibus ſaxis alligatos projici. Sed ſuſcepti. Gloria. Sed ſuſc.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.
Ex Hiſpaniæ Breviariis, & antiquis Sanctoralibus.

CUm Cordubæ Dion Præſes carceres, ſæ-

vos cruciatus, mortem denique Christianis indiceret, nisi sacra continuò diis facerent: Acisclus, & Victoria fratres sunt ibi reperti, adeò strenui, ac fortes in asserenda Christiana religione, ut ad Præsidem ducti, nihil se facere jussa Principum audacter prædicarent. Quibus Dion Præses dixit: Vos ne estis, qui sacra deorum contemnitis? Nos, inquit Acisclus, præstamus Christo vero Deo debitam servitutem; non autem dæmonibus, surdisque lapidibus. Erubuit Præses ad tam audax responsum, & in ima carceris eos contrudi præcepit; ubi cœlesti ab Angelis cibo refecti, postera die sævissima verbera pertulerunt.

℟. Convertit Dominus faciem suam super Sanctos suos. * Et visitavit eos per Angelos suos. ℣. Angelis suis Deus mandavit de illis, ut custodiant eos in omnibus viis suis. Et visitavit eos.

Lectio v.

Altera die de carcere eductos jubet Præses in caminum ignis præcipitari; sed suscepti ab Angelis, Deo laudes alta voce personabant. Quare stupefactus Dion imperat, illos in flumen cum ingentibus saxis projici. Non tamen ibi angelicum eis defuit patrocinium: nam mediis in fluctibus non mergebantur. Quin media circiter nocte vox audita est, eorum vota non irrita fore denuntians. Tunc candida nube obtecti, Christum inter dulces Angelorum concentus perspexerunt.

℟. Pueri mei, nolite timere, quia ego vobiscum sum, dicit Dominus.

nus. * Si transieritis per ignem, flamma non nocebit, & odor ignis non erit in vobis. ℣. Liberabo vos de manu pessimorum, & eruam vos de manu fortium. Si transieritis.

Lectio vi.

HIs perspectis, Dion rotas jubet afferri, atque sub rotis ignem accendi, & oleum desuper infundi, ne mora ulla esset, quin Acisclus, & Victoria momento consumerentur. Quibus rotis circumactis, corpora certè crudeliter quassabantur. Cæterùm Sancti Martyres precibus instabant rogantes, ut ignis extingueretur, ne victoria Dion exultaret. Itaque subitò prorumpens flamma quamplurimos deorum cultores interfecit. Prorsus cùm vinci tormentis non possent, Victoria post præcisam linguam, & ubera, ex quibus lac pro sanguine fluxit, sagittis confecta est, Acisclus decollatus: ubi ob commendationem pretiosæ mortis eorum eodem die in singulos annos rosæ divinitùs ortæ colligebantur.

℟. In tormentis rotarum te Deum nostrum non negavimus. * Et ad ignem applicati te Dominum Jesum Christum confessi sumus. ℣. Probasti cor nostrum, & visitasti nocte. Et ad ignem. Gloria. Et ad ignem.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secũdùm Matthæum. *Cap. 5.*

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Ho-

Homilia Sancti Leonis Papæ.

De festo Omnium Sanctorum.

Lectio vii.

QUalis sit igitur doctrina Christi, sacræ ipsius sententiæ protestantur, ut qui ad æternam beatitudinem pervenire desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. De quibus pauperibus veritas loqueretur, fortè esset ambiguum, si dicens, beati pauperes, nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate: & sufficere videretur ad promerendum regnum cœlorum ea sola inopia, quam multi sub dura, & gravi necessitate patiuntur. Sed cùm ait: Beati pauperes spiritu, ostendit eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum magis, quàm indigentia facultatum.

℞. Grati facti sunt Domino in certamine, qui apud Deum, & homines glorificati sunt, & in conspectu principis loquebantur sapientiam. * Et Dominus omnium dilexit eos. ℣. Adjuvavit eos Deus vultu suo, Deus in medio eorum non commovebitur. Et Dominus.

Lectio viii.

DUbitari autem non potest, quòd humilitatis istius bonum faciliùs pauperes, quàm divites assequantur. Dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, & istis in divitiis familiaris elatio. Veruntamen & in plerisque divitibus invenitur hic animus qui abundantia sua non ad tumorem

morem superbiæ; sed ad opera benignitatis utatur: idque pro lucris maximis numeret, quod ad relevandam miseriam alieni laboris impenderit.

℟. Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine, secuti sunt Dominum. * Contemnentes aulam regiam pervénerunt ad regna cœlestia. ℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. Gloria Patri. Contemnentes.

Lectio ix.

OMni generi, atque ordini hominum datur in hac virtute consortium: quia possunt esse proposito pares, & impares censu. Nec interest, quantùm sint in terrena facultate dissimiles, qui in spiritualibus bonis inveniuntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit. Te Deum.

Ad Laudes, & per Horas Antiphonæ.

CUm Dion Præses mortem Christianis minitaretur, nisi idolis sacrificarent, Aciscius, & Victoria strenui, & fortes in religione reperti sunt.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Aña. Vos ne estis, qui sacra deorum contemnitis? Nos, inquit Aciscius, præstamus vero Deo debitam servitutem.

Aña. Cùm sancti fratres in flumen ingentibus saxis alligati projicerentur, nec ibi angelicum

licum illis defuit patrocinium.

Aña. Cùm jussu Præsidis in caminum ignis Sancti præcipitarentur, suscepti ab Angelis Deo laudes alta voce personabant.

Aña. Candida nube obtecti Sancti Martyres, Christum inter dulces Angelorum concentus perspexerunt.

Cap. Hymn. & Vers. de Communi plurimor. M.

Ad Benedictus Antiph.

NE victoria Præses exultaret, instabant Sancti Martyres rogantes Dominum, ut rogus extingueretur; itaque subitò prorumpens flamma quamplurimos deorum cultores interfecit.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus: cætera de Communi plurimor. Mart. Ad Vesp. Aña. de Laud. Psalm. Capit. Hymn. & Versus de Communi.

Ad Magnificat Antiph.

CUm vinci tormentis non possent gloriosi Martyres, Victoria sagittis confecta est, Acisclus decollatus. Qua die ob commendationem pretiosæ mortis fratrum sanctissimorum rosæ divinitùs ortæ colligebantur.

AD MISSAM.

Introit. Sapientiam; *Epist.* Fratres, Sancti per fidem, *Evang. de offic.* Videns Jesus turbas, *ut in cõi. plur. m.*

HISPANIARUM.

AD *pias serenissimi Regis Catholici, enixasque preces Reverendissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, necnon Capitulorum, ac Universitatum*

ferè

ferè omnium Ecclesiarum Regnorum Hispaniæ, SSmo. D.N. Benedicto PP. XIII. porrectas, & à Sanctitate sua ad Sac. Rituum Congregationem remissas, ac per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Belluga relatas, Sacra eadem Congregatio posse concedi censuit, ut singulis annis die 17. Novembris in festo Sanctorum Aciscli, & Victoriæ, Martyrum, Civitatis, & Diœcesis Cordubensis Patronorum, Officium cum Lectionibus secundi, & tertii Nocturni tantùm, ac Oratione propriis, jam à S.D.N. Clemente VIII. Ecclesiæ Cordubensi concessis, sub ritu duplici de præcepto in cunctis Regni Hispaniarum, ac Ditionibus ipsi Serenissimo Catholico Regi subjectis ab omnibus Sæcularibus, & Regularibus recitari valeat, si SSmo. Dño. N. visum fuerit. Die 15. Februarii 1727.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis SSmo. Dño. N. relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die prima Martii ejusdem anni. N. Card. Cosçia Præfectus. N. M. Thedeschi Archiepiscopus Apamensis Sac. Rit. Congregat. Secret.